

fortitudo mea ut sustineam: aut quis finis meus ut patienter agam? Hanc igitur mortem potestati divinae Job solvi exoptat: ut ab ea decidens cadat in hanc temporariam mortem, quatenus praesentes poenae possit evadere: cum velut arbor de hac vita succisus fuerit.

Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea: nec caro mea antea est. Caro mea corrumptur sanie ac putredine vulnerum: quia non est in me talis fortitudo, velut lapidum, ut dolores non sentiam.

Ecce non est auxilium mihi in me: & necessarii quoque mei recesserunt a me. Tam ex sua, quam ex persona Christi Propheta hoc dicit:

Qui tollit ab inimico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Fratres mei praterierunt me: sicut torrens qui rapit transit in convallibus. Misericordia est, ad miseras eorum qui tribulantur compatiendo mœrore cordis deflecti: hanc vos dum amico non impenditis, timorem Domini derelinquitis.

Qui timent pruina, irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati, peribunt. Timebam peccata etiam minima perpetrare: ne pro eis Dei in me ultio deferveret: & ecce nunc ita punior, tanquam scelera immania commiserim.

Et ut incaluerint, solventur de loco suo. Ubi fervere cœperat nomen ejus in populis, in gloriae suae loco non comparuit, velut nix cum calore dissolvitur.

Involute sunt semita gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt. Semitas virtutes animi dixit: in quibus ut Deo placeret, omni studio gradiebatur: has semitas malis quae patiebatur involutas atque implicitas esse dicit, dum bonis vitae suae suppliciorum admiscerentur mala.

Considerate semitas Theman: itinera Sabba, & expectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. Venerunt quoque usque ad me: & pudore cooperiti sunt. Id est, intuemini ad hæc loca quae dixi, & ipso silentio cognoscetis vera esse quae dixi. Respiciat ad vias divertorum regnorum: per quas ad me omnium gentium frequentia confluebant: & videbitis eas raritate, imò solitudine hominum desolatas.

Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timetis: Nunquid dixi: Asserte mihi, & de substantia vestra donate mihi: vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoravi, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum de vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis: & in ventum verba profertis: Hoc dicit, quod & ipsi amici sui, exemplo ejus ruinam sibi similem formidarent. Nonne quievi, nonne dissimulavi, patientiam videlicet aut vindictam malorum? Nonne filii, silentio cohibens linguam meam, ut non responderem exprobrantibus mihi mala: vel ne in toto mihi dominaretur iniquitas. His ergo veritatis sermonibus detraxistis, quando quidem me in his non solum fallacem, verum etiam in aliis rebus criminiosum judicatis: cum vestrum nullus ita mundus sit à peccato, ut quemquam possit libera conscientia increpare.

Super pupillum irruitis: & subvertere nitimini amicuum vestrum. Verumtamen quod capistis, explete. Præbete aurem, & videte an mentiar. Desolatum scilicet à parentibus & amicis.

Respondete obsecro absque contentione, & loquentes id quod justum est, judicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem: nec in faucibus meis stultitia personabit. Non sit contradicendi studium, quod contentio generat morbum: & ita demum animositatis caligine non perturbati, poteritis in me & vos quod justum est judicare.

Caput VII.

MILITIA est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies ejus. Dinicans contra invisibiles adversarios.

Sicut cervus desiderat umbram: & sicut mercenarius prestatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero dicam quando confurgam? & rursum expectabo vespertinam: & replebor doloribus usque ad tenebras. Induta est caro mea putredine. Similiter & ego me consequi arbitrabar: sed pro umbra refri-

gerii incurri ætus poenarum: & pro mercede mei operis, vacuus dimissus sum.

Et sordibus pulveris cutis mea aruit, & contracta est. Dies mei velocius transierunt quam à texente tela succiditur: & consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea: & non revertetur oculus meus ut videat bona. Hoc etiam ad tormentorum pertinebat dolorem: ut sanies quæ de putredine ferventium vulnerum defluebat, sordibus infusa pulveris, cutem ejus exsiccaret, atque contraheret.

Nec aspiciet me visus hominis. In ea enim pace & gloria, divitiis & honore ubi antea fui, jam non sum ab hominibus videndus.

Oculi tui in me, & non subsistam. Sicut consumitur nubes & pertranst: sic qui descendit ad inferos non ascendet: nec revertetur ultra in domum suam: Quia oculi tui quasi iracundia pleni, in me idcirco sunt intendentes: ut plagas graviores inimici mei accumulent.

Neque cognoscat eum amplius locus ejus. Quapropter & ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine anime meae. Nunquid mare ego sum aut cœtus: quia circumdedit me carcere? Si dixerit, consolabitur me lectulus meus, & revelabor loquens mecum: Id est, pristina mundi istius conversatio, non erit in homine commutato.

In stratu meo terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Hoc à Deo Job se pati dicebat, quod à demonibus patiebatur: qui ad ista faciendâ à Deo acceperant potestatem, qui ei torvis vultibus & minacibus sine dubio apparebant in somnis: fridentibus etiam dentibus: & ad devorandum eum quasi ora aperientes, ut in insolite visionis horrore excuteretur in lecto: & expergefactus somno aufugeret quo solent dolores nimii mitigari: & succederent juges vigiliae, ut indefinenter cruciatibus torqueretur. Sive vulnera quæ vigilans oculis suis videbat quotidie, putresque sanies, vermiumque multitudinem discurrerent per vulnerum foveas, in somnis ei à demonibus demonstrabantur.

Quamobrem elegit suspendium anime meae, & mortem ossa mea. Satius est, inquit, & peccato multo tolerabilius: si vultus cruciatibus, de morte mea cogitem, quam tuæ majestati irrogem blasphemiam.

Desperavi. Nequaquam ultra jam vivam. Desperavi, loquendo hæc, quæ dicere non debeueram. Pro hoc itaque verbo, quo se lapsum in peccatum deplorat, poenitentiam illi co profertur dicens:

Parce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Tanquam si diceret: in hoc tempore poenitentem suscipe, & obsecranti pro hoc delicto esto placabilis.

Usquequo non parcis mihi. Id est, ab istis poenis mihi instantibus non desistis.

Nec dimittis me, ut glutinam salivam meam? Inter cætera mala dolorum & cruciatuum, Synchronim habuisse se perhibet, qua tumore faucium hominis halitus intercluditur, & sæpe quasi laqueo strangulatus extinguitur.

Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum? Peccavi in his quæ dixi superius, quæ me dicere non decebat: quid possum facere tibi qui justus es?

Quare me posuisti contrarium tibi? Dedisti mihi copiam respondendi, ut dicerem tibi: justo homini non conveniunt poenæ, quæ potius peccatoribus irrogantur: dum homo hæc dico Deo: creatura creatori: plasma figulo.

Et factus sum mihi metipsum gravis. Quia servus Domino meo tam querula voce respondere non debui.

Cur non tollis peccatum meum: & quare non auferis iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam: Id est, auferes dolores meos, per quos qui eram hæctenus justus, nunc peccate compellor?

Et si mane me quaesieris, non subsistam. Post istius sæculi noctem, in illius futuri sæculi principio, quando erit faelix resurrectio beatorum: cum requisitus fuero, non inveniar: quia non ita dignus ero, qui sanctitatis merito subsistam ante faciem tuam. Quod si ab hinc peccator abiero, cui tu antè propitiatus non fueris: postea ante conspectum tuum, ubi sunt cæteri sancti, amplius non ero.

Caput VIII.

RESPONDENS autem Baldad Suites, dixit: Usquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui? Offensus est Baldad in sermonibus sancti Job. Primum quia temere locutus fuisset ad Deum: deinde, quod diceret, quod in regno fuisset cæteris regibus præpollentior: & quod hanc plagam innocens pateretur: & notat eum ipse Baldad, quod quasi non libera mente & sobria loqueretur, sed nescio quo spiritu potius ageretur.

Nunquid Deus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? Hoc dicit: quia iustitia Dei pateris, qua mereris.

Etiam si filii tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo confurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus inceperis. statim evigilabit ad te, & peccatum reddet habitaculum iustitie tuæ: intantum ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis. Si filii, inquit, tui facientes mala, dimissi sunt à Deo, ut potestas quæ propter iniquitatem eorum in eos data est, interimendi eos haberet effectum, tibi in nullo nocere poterit: si tamen ipse adhuc jacens in stultitie cæcitate, diluculo in agnitionem divinae iustitie confurrexeris: & pro tuis erroribus & delictis Deum qui omnia potest concedere, fueris deprecatus. Qui quasi dormire videbatur, non audiendo te videlicet nec videndo, confestim evigilabit ad te, & ad præparandam felicitatem tuam instabit. Intantum ut si priora tua fuerint parva, novissima tua multiplicentur nimis. Si ergo ad Deum conversus fueris, inquit, ab iniquitatibus, propter quas nunc poenas pateris: & per satisfactionem eum pro meritis tuis tibi valde iratum reconciliare volueris: tantam ejus gratiam continuo possidebis: ut ad comparationem novissimorum bonorum tuorum, quæ tibi subito poterit compensare, priora satis parva & minima deputentur. Quos peccatores filius ille junior in Evangelio figuravit, qui cum bonum naturæ, tanquam divitiis cum meretricibus, id est, voluptatibus vivendo, prodigius dissipasset, poenitentem occidit vitulus Christus: annulus quoque fidei, qua cuncta promissa certa impressione signantur, in manu ei tribuitur: & gressuum suorum accepit munimenta, ut super serpentes & scorpiones securus incedat: stola etiam æterna immortalitatis donatur.

Interroga enim generationem pristinam & diligenter investiga patrum memoriam. Hæsterni quippe sumus, & ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram: ipsi docebunt te. Loquentur tibi: & de corde suo proferent eloquia. Hoc est dicere, quia nos hæsterni sumus: interroga antiquos, & invenies alios in diluvio, alios in Sodoma, sive in diversis locis pro peccatis suis diversas accepisse sententias.

Nunquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carellum sine aqua? Hoc est dicere: sicut scirpus vel carellum sine aqua vivere non potest: ita tu sine fomento atque humore iustitie, nequaquam permanere in pristina felicitate poteris.

Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arefcit: sic via omnium qui obliviscuntur Deum. Dicit sanctum Job, velut herbae similitudine floruisse: qui antequam ad maturitatem fundatæ gloriæ perveniret, in tanta mala præcipitatus sit, ne in tempore suo, quasi in plenitudine dierum consummato completoque florentissimo regno: manu potestatis Dei, in qua omnia regna consistunt, auferretur à sæculo. Ergo quia non ita egisti, ut in pace, completo tempore tuo conferretis in sepulchrum tuum: idcirco ante omnes herbas, id est, ante omnes peccatores, qui herbarum vocabulo sæpe dicuntur, solis ardore siccatus es: id est, cum infidelibus tribulationibus corde cessisti. Quod autem ait: ante herbas omnes arefcit: quisquis hominum multarum est iniquitatum, sicut tu es, præ pondere criminum, antè incipit poenas luere quam cæteri peccatores.

Et spes hypocrite peribit. Hypocrite simulantis sanctimoniam vitæ: hic autem secundum Dei testimonium simplex fuit, rectus & innocens: sicut ipse ait: Si ambulavi in vanitate.

Non ei placebit recordia sua: & sicut tela araneorum fiducia ejus. Grandis revera recordia est & amentia, fictè & simulatè agere ante Deum: quod eis in prosperum non procedet, cum ille scrutator sit cordis & renis. Tales in Evangeliiis ar-

guuntur: qui sunt ornati de foris quasi specie sanctitatis, & intus peccati putredine pleni sunt, ut sepulchra mortuorum.

Inmitetur super domum suam, & non stabit. Confidendo in seipso, & confirmando carnem brachii sui: stare non poterit: sed magis cadet superbia. Quia omnis caro scænum est.

Fulciet eam, & non confurget. Conatur propriis vitibus se erigere, sed nequaquam confurgere poterit: quia non est Dominus fortitudo ejus. In quem incumbentes firmissime continentur.

Humectus videtur antequam veniat sol. Felicitatem prosperantis hominis dicit: qui cum æstu tribulationis percussus fuerit, adversitatibus frangitur: & omnis viros pristinae ejus lætitiæ, consumptus tristitia exsiccat.

Et in ortu suo germen ejus egredietur. In principio, inquit, felicitatis suæ peccator prosperè agere videtur, sed non permanebit, virentis herbae similis: hæc est repentina jucunditas, sicut in psalmo: Cum exorti fuerint peccatores ut fennum, & apparuerint: id est, velut herbae in virore lætitiæ præsentis emerint: mox adveniente caumate peribunt. Justus verò non ita ut fennum floreat: cui, ut dixi, peccatorum gloria comparatur: sed sicut palma florebit, inquit Propheta. Quæ ita in profundum est radicibus stabilita, ut nec tempestatem metuat, nec solis ardorem formidet. Et cum sub sacro numero ad centum usque nodos pervenerit: quibus altitudo ejus solidè continetur: tunc fructus afferet dulcissimos charitatis, in summo scilicet perfectionis fastigio, quo se per incrementa virtutum, quasi per plurimorum quoddam ætates annorum ascendisse gloriatur.

Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur. Quoniam radices ejus in terra bona solidatæ, ut fructus patientiæ afferent non fugeant, sed super acervum magis petrarum coarctabuntur, non habendo illic vitæ humorem: moriturus utique prius ariditate sicabitur.

Et inter lapides commorabitur. Metaphoricè: lapides, infideles, & duri cordis hoc loco possunt intelligi: inter quos quisque peccator commorabitur vitæ similitudine coæqualis: qui Deum ut stolidi metalla non sentiunt. Aut certe lapides peccata nominavit. Unde Propheta ait: tollite lapides de via: id est, de via sanctæ conversationis auferite peccata.

Si absorberit eum de loco suo: negabit eum, & dicit: Non novi te. Cum de hac vita ad loca squalida inferorum transferendus absorptus fuerit: indignus utique conspectui Dei esse negabitur. Locus hominis, dici potest qualitas conversationis: ubi vel vitæ genere, vel mente consistit: id est, disciplina, vel gratia quam accepit, aut elegit sectari.

Hæc est enim lætitia via ejus. Ironicè dicitur: hæc est lætitia via ejus: velut si diceret: Sic in bonis operibus, Deoque placentibus ambulavit dum viveret: ut ad ærumnas perpetuè perveniret.

Ut rursum de terra alii germinentur. Facit utique Deus, ut justus iudex, dum Judæos incredulos à promissionibus quæ in Christo sunt, propter perfidiam excludit: & gentes propter obedientiam intromittit. Sive in loco Judæ Mathiam constituens: iusta iudicia sua declaravit.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Id dicit: non juvat ut faveatur operantibus iniquitatem: & tamen porriget manum pietatis suæ, ut peccatores ad poenitentiam convertat.

Donec impleatur risu os tuum, & labia tua júbilo. In risu, lætitiæ cordis intellige. In júbilo, vocem exultantis adverte.

Qui oderunt te, induentur confusione. Cum utique talis fueris, qualem dixi superius, qui oderunt te, merito confundentur.

Et tabernaculum impiorum non subsistet. De Job quidam hoc dicit, sed fallitur. Nam manifestum est tabernaculum impiorum perituum in æternum: id est, diabolium, & ministros ejus: vel etiam præsens sæculum.

Caput IX.

ET respondens Job, ait: Verè scio quod ita sit: & quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo: non poterit respondere ei unum pro mille. Sapienter corde est, & fortis robore. Noli ergo de me ita existimare quod ego saltem cogitare hoc audeam, cum sciam quia